DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Martis, ſextâ Aprilis anni M. DCC. XXXIV.

M. DAVID VASSE,
Doctore Medico, Præſide. autore.

An Hæmorrhagia ex Dentium evulſione Chirurgi incuriâ lethalis?

I.



HEU cœcum hominum genus! qui, quod agunt minùs agunt; hinc Artium quas profitentur negligentia; ex hâc præceptorum ignorantia; indè illarum pernicies, ni manum operi, qui artificibus præſunt, admoveant. Nùm exhauſta artis tuæ materies, qui trànſis ad diverſa, quæ tua non ſunt, objecta? currit iſte nec bravîum accipit: Quid mirum, ſi extra ſtadium? Maria pertranſit quæſiturus non invenienda quæ, urbem, ex quâ profectus, advenientes reportant alienigenæ: proh dolor quem ſibi honorem ex itinere præſumebat avidus, præripit alter & fit illius commoratio deſerta! alii ſuæ artis neſcii ad Agyrtas recurrunt, & dùm ex Sutoribus (quis non rideret) Medici eoſdem pro ſe ſuiſque curandis conducturi advocant; hinc Medicaſtrorum, Oculiſtarum, Dentiſtarum, Lithotomiſtarum, Chymiſtarum, &c. caterva naſcitur, in quorum manus incidunt artifices ipſi neglectâ arte, nonnunquam ad tabernæ ſuæ tirones (*miſellum opus*) remittunt rem non erubeſcentes; hinc morborum quos impares ſuſcipiunt ſanatio nulla, mala curatio, ex ipſâque ſymptomata peſſima ſemper, ſæpè ſæpiùs lethalia. Hujus generis ſunt hæmorrhagiæ quæ ex naturâ ſuâ inculpatæ, artificis incuriâ degeneres ægrotanti mortem velociori accerſunt pede; quæ aliàs ſalutares, cautione adhibitâ.

II.

HÆMORRHAGIÆ ex dentium evulſione non ſunt ex naturâ ſuâ inſanabiles; Dubitas? Eorum 1°. deſcriptio, nullibi talis legenda, probat; 2°. morborum in quibus inſtituitur eradicatio, confirmat hiſtoria; methodus tandem curandi, moduſqe operationis evincit. Naturam ſi inſpexeris, morſûs, maſtica-

tionis utilitatem, &c. jam jam advertes; si examinaveris morbos, extractionis judicabitur necessitas; si tandem exeresim sis aggressurus, in operando dexteritas admovenda. aliquandò paucis, nusquàm nimis, ubique compendiosa methodus.

I I I.

DENTES [oris ornamentum; ciborum trituræ incudes & mallei; illi suprà, hi verò infrà ordine inverso, quod mirandum, positi; loquelæ, cantûs, risûs, stridoris, sufflatûs, sibili, diversorum hiatuum, &c. organum consors] sunt officula durissima, densissima, albissima, lævissima, maxillis clavorum capite diversorum ad instar juncturâ, *Gomphosin* vocant, insita: Summa eorum triginta duo; sexdecim utrique mandibulæ radicibus suis hærentes, capitibus sibi invicem occurrentes, commissis lateribus cancellatìm ordinati; limbo superiori si inferiori maxillæ, inferiori verò si superiori è contrà, cuneatìm infixi; hujusce tribûs radicibus ingenitis supernè, & capitibus eminentibus infernè, illius verò vice versâ. Uterque palorum ordo semicircularis atque parallelus inferiori sæpè prominens superior. Eorum natura omnibus communis, duplex pro diversis quibus conflantur partibus; alia quæ trunci, altera quæ radicis; illa encaustica, hæc ossea: Prima superficie politâ, duriore, lucem reflectente densatur exteriùs; verùm pars interna ad instar radicis: utraque cava, vasorum quæ ad nutritionem functionemque peculiarem via: Truncum & radicem discriminat circulus utcunque depressus aut insculptus collaris instar cui parùm adnascitur gingiva, extrà quam eminet truncus pro triplici figurâ, mole, functione, triplici nomine gaudens: si cuneatus figurâ, mole minor, functione incisorius, dentis incisoris, adversi sive tomici sortitur nomen: si mucronis figurâ, mole major quam incisor, functione pungens, caninus dicitur aut rodens: si circulariter ad coronæ figuram accedat scrupeâ basi, pluribus paucioribusve monticulis ornatâ, trium familiarum maxima sit, cibos tandem molat, molarem appellari sinas. Unam solamque radicem habet incisor: raró binas easque sæpè adjunctas aut saltèm partìm divaricatas caninus: duplici verò semper saltèm ferruminata radice donantur primus & secundus molaris: Triplici plerumque, quadruplici non sæpè tertius & quartus, quintuplici raró; at quintus unam sæpissimè tantùm emittit. Radices truncis obfirmatu adhæsuque longiores suis alveolis strictè & quasi vaginulis sigillatim continentur osseis tenuibus & quasi lamellis supra Diploe expansis, ruptu depressuque utrisque facilibus. Alveolis suum est periostium, at eamdem membranulam esse dentium communeque investimentum nec probat doloris sensus, nec fibrillarum circum collare deprehensio. Sua est sicut trunco ita & radici licet lævis superficiariaque encaustica obductio. Cuique Dentium classi suus est numerus peculiaris, nec non situs, figuraque. Incisorum numerus octo; quatuor in quâque tribu, dùm ridetur, develantur anteriùs; è truncorum singulari situ gladioli figura componitur; forma radicum, longa, anteriùs posteriùsque contracta, larga lateralitèr, in acumen paulatìm desinens; huic aditus seu apertura foraminis instar in juventute majoris, in senectute vix sensibilis, nonnunquam deleti. Nec mole conveniunt incisores; qui maxillæ inferiori innascuntur minores, qui appenduntur superiori majores, inter quos duo anteriores ampliores lateralibus. Trian-

gularis quadruplex est trunci facies; anterioris posteriorisque basis versùs collare, utriusque verò lateralis circà capitis apicem; anterior nonnihil convexa facies, posterior concava parùm, propemodum planæ laterales; Trunci & radicis extremitas diversa; illius lata cæsim, hæc punctìm acuta: Caninorum familia propter eminentium canis dentium figuram quâ donantur sic dictorum, angularem etiam audit; hinc anguli in ore quatuor quibus sigillatìm incisores à molaribus distare deprehenduntur; tertio quoque vocabulo nominantur qui ad superiorem pertinent maxillam, ob oculorum viciniam, ocularii: eorum truncus incisorum trunco major, anteriùs projectus, convexus, exteriùs rotundatus nonnihil, brevi ac triangulari terminatus cuspide; trium facierum anterior convexa, duæ posteriores planæ; Radix plerumque radice incisorum crassior, densior, longior, acutiorque, maxillarum sinus aliquandò [si mandibulæ superiori hæreat] perforans. In laterali posteriori oris utroque tum superiori tùm inferiori latere deprehenduntur quinque molares, post caninos immediatè positi, quorum anteriores duo minores; duo sequentes majores; quintus tandem ultimusque interior vocitatus, tardus, postremusque, modò majoris modò minoris molis, modò citiùs, seriùs modò, modò nusquàm oriundus. Eorum truncus crassus brevioris corporaturæ, utcumque cylindraceus, quatuor parumper rotundatis angulis circumdatus, Coronæ nomen etiam præ aliis consortibus suis potiori jure admittens. Quæ ad superiores maxillas earumque dentes annonas ferunt arteriolæ, alterum primi è duobus in utroque latere ramusculum rami quinti è carotide externa oriundi audiunt; secundus ejusdem quinti ramulus maxillam inferiorem præterfluit: sunt & aliæ capillarium ramulorum subdivisiones, qui invicem inter se communicant, ut propter suam exilitatem si quidam deficiant, subministrent alteri propiores: fibrarum præsertim ossearum rigiditas siccitasque retardant minuuntque appellentem sanguinem; hinc in maxillis insolita phlegmone; frequens catharrus, ob salivalium vasorum multiplicitatem; rarissima verò hæmorrhagia, lethalis nunquam modò & quidem gracile sanguini repagulum injiciatur.

I V.

AFFICI plethorâ dentem quis diceret? Hæmorragiâ laborare quis desineret mirari? Medicus, cui compertum est partes durissimas molles nonnunquam fieri, ampliari, vasis liquore suo tumentibus gaudere; & è contrà; hinc obstructio, inflammatio, tumor, pulsus, abscessus, &c. A lue venereâ, scorbuticâ, scrophulosâ quot morbi in semine? Hinc sanguinis lympha ubi labefactata, depluit symptomatum densa cohors! Hinc doloris sensus ob humoris acredinem in tunicas irruentis nervosque; modò caries ab ichore eorum materiaturam depascente; augetur gradu & numero morbus si denti luxatio fracturaque accedant. Ast cujusque symptomatis pessimum, dolor; pro ejus intensione febris, insomnia, delirium, parotidum amygdalarum, &c. inflatio, aurium abscessus, ophtalmiæ, imò totius corporis spasmus, convulsioque, &c. Tunc organi jactura [medicamen miserabile] etsi opportuna, multa secum trahit damna inter quæ hæmorrhagia. Hæc compescenda, eò promptiùs, quò dentis, alveoli, maxillæque vasorum diameter minor, pressu constrictuque fa-

cilior, dilatari ineptior & augeri, varices eorum, necnon complicationes inhabiles fluere, ſiſtere ſanguinem in promptu quàm appoſitæ.

V.

NEC minima inter operationes Dentis extractio: Quanta ex hâc exurgunt ſymptomata. Quot dentium vacillationes, luxationes, disjunctiones, fracturæ, in maxillas ipſas intruſiones, dilacerationes Gingivarum, &c. hinc maxillæ, licet raro, dentes ſæpiſſimè, gingivæ nonnunquam veniunt firmanda, reponenda, conjungenda, adaptanda, educenda, obducenda cicatrice, &c. indè dolores acerbiſſimi omni ratione mitigandi, indè vaſorum ſanguiferorum apertio citò citiùs occludenda. Caveas ne crudele ferrum, dum dentem improvidâ nec oculatâ trahit manu, impudenter auferat & mandibulæ portiunculam; tunc arteriolam laceratam ſi detegat Hæmorrhagia, indicatur & ipſa ſui cohibitio: obvium medium triplex, ſtipticum, ignis, compreſſio. Nauſearet mens, ſi primum proponeretur occurrens ubique. Ferrum excandeſcens in fundibulo latitans ora vaſorum urendo claudit. Preſſu obfirmatur arteria ne fluat. Sæpiſſimè ſiſtit quàm citò Hæmorrhagia ex medicamenti ſtiptici appoſitu, ne dùm ad alia currendum: Nonnunquam igne opus, prægræſſo inutiliter primo; tandem irritis ambobus ſuccedit ſemper tertium accedens: Quæris quæ ſigillatim operationi concurrunt? minimè narranda quæ temporis ſpatiolo demonſtrantur abundè. Quid facerent Chirurgi *, Magiſtri ſi talia? Felix Æger, felix & Chirurgus quibus curatio tam proſpera è firmâ baſi cæteris Hæmorrhagiis optanda. Non ſic in ranulis, ſublingualibus, viſcerum, &c. arteriis apertis in quibus punctum firmum quo comprimantur ſtabiliri nequeat. Eheu miſeri homines quos noviſſimè Chirurgorum incuria præmaturæ tradidit morti, neglectâ quam facillimâ operatione. Ex anatome, maxillarum dentiumque vaſa diametri minoris inter oſſeas latitare lamellas inſpexiſti; ex morbo, hæmorrhagias naſci ſymptomaticè, nec non ex dentium extractione produci nonnunquam, appoſitè obſervaſti, haſque exemplorum omnis ævi relatione & curandi methodo facilè compeſcendas notum eſt; ex operatione tandem citò, tutò & jucundè ſanguinem ſiſti ſenſibus patuit.

* *Vide* Fauchart.

Ergò Hæmorrhagia ex Dentium evulſione Chirurgi incuriâ lethalis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Hyeronimus Coſnier.	*M. David Vaſſe, Actûs Præſes.*	*M. Franciſcus Bailly, Pharmaciæ Profeſſor.*
M. Ludovicus - Joannes le Thieullier, Regis Conſiliarius, & in majori Conſilio Medicus ordinarius.	*M. Andreas - Joſephus Seron.*	*M. Andreas de la Leu, Chirurgiæ Profeſſor.*
M. Nicolaus le Roy de S. Aignan.	*M. Thomas - Renatus Gaſnier.*	*M. Petrus-Antonius Lepy.*

Proponebat Pariſiis JOANNES DE DIEST, Altena-Germanus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1734. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1734.